ALBERTI RITTER
GYMNASII REGIO-ILFELDIACI
PRO-RECTORIS ET SENIORIS
NEC NON ACADEMIAE IMPERIALIS
NATVRAE CVRIOSORVM
MEMBRI

SPECIMEN I. ORYCTOGRAPHIAE CALENBERGICAE

SIVE

RERVM FOSSILIVM

QVAE SVB ADPELLATIONE RERVM NATVRALIVM
PLERVMQVE VENIVNT
ET IN DVCATV ELECTORALI BRVNSVICO-LVNE-
BVRGICO CALENBERG ERVVNTVR

HISTORICO-PHYSICAE DELINEATIONIS

CVM FIGVRIS AERI INCISIS
LAPIDVM QVORVMDAM FIGVRATORVM
RARIORVM

SONDERSHVSAE A. R. G. MDCCXLI.



Gregorius Moral. LXXVI. cap. 8.

Vestigia creatoris per haec, quae ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum.



A et Ω.



§. 1.

Tatutum cum animo nostro deliberatumque habemus rogatu atque instinctu quorumdam amicorum nobis honoratissimorum et amicissimorum, studio naturali potissimum, nostrisque in hoc conaminibus cum Naturae Curiosis hactenus communicatis fauentium, describere lapides figuratos, et quae insuper memorabilia et notabilia in Terra Hannouerano-Calenbergica occurrunt; quo magis nunc ad hocce humanitatis officium nos devinctos putauimus propter plurima optimaque bona, quibus fruiti sumus per ipsos triginta annos, quos his in terris Brunsuicensibus commoramur, tandemque in illis prouida Summi Benignissimique Dei Numinis directione singulari praeter opinionem spemque nostram stationem firmam inuenimus, eo lubentius ad testificandum animum nostrum gratum id qualecunque officii in nos sumsimus. Insistemus vero eadem nostra vestigia, quae in

superioribus scriptis a nobis publicatis pressimus, videlicet secundum ordinem geographicum recensebimus omnia, praecognitis quibusdam praemissis ad maiorem rerum intelligentiam facientibus.

§. II.

Ducatus Calenberg iacet intra et circa duo flumina notiora Saxoniae Inferioris Visurgim et Leinam; hanc regionem cum aliis proximis priscis temporibus incoluerunt Cherusci, a) gens omnium Germanorum veterum validissima, bellicosissima, famigeratissima, quorum Dux Arminius, vir fortis ac strenuus tres legiones Quintilii Vari b) ducis Romani fortissimas A. M. 3959. vel A. C. 10. in saltu Teutoburgiensi interfecit, quare ipse pectus suum ex desperatione gladio transfixit, etiam hoc nuncium fatale et triste Romam perlatum cum peruenisset ad aures Caesaris Augusti sic eum commouit, vt per continuos menses barba capilloque submisso incederet, caput interdum foribus inlideret vociferans: Quintili Vare Legiones redde! diemque cladis quotannis moestum habuerit ac lugubrem; rudera satis ampla et conspicua arcis sedisque Arminii adhuc hodie supersunt in monte, qui hinc audit die Hermannsburg, in ipsis finibus Pyrmontano - Lippensibus ad fluuium Emmer, haut procul Pyrmonto, quam Carolus M. vastasse fertur. c) Confines habet hodierno die ab Oriente Episcopatum Hildesiensem, a Meridie Ducatum Brunsuicensem et Comitatum Pyrmontanum, ab Occidente Comitatus Lippensem et Schaumburgicum, a Septentrione Comitatum Hoyensem et Ducatum Luneburgicum. In hoc Ducatu Calenberg sunt Abbatia Imperialis Libera Loccum, cuius Abbas Primarius Prouincialis status est, porro Monasteria Virginum religionis Protestantium, quae simul tot Praefecturae monasteriales, pro foro suo agnoscentes Cameram Monasterialem Hannoueranam, nominatim Marienwerder, Wunstorf, Mariensee, Barsinghausen, Wennigsen, et Wül-

a) Cluuerii Germania Antiqua libr. III. cap. 19.

b) Cognomen Varus Romanae nobili familiae Quintilianae propter naturae vitium, quia plures in ea curuis contractisque cruribus, vel obtortis plantis, tollfüßig, schlimmfüßig, fuerint, auctor est Plinius libr. II. cap. 45.

c) Tacitus libr. I. Annal. cap. 55. 65. idem libr. II. Annal, cap. 45. Florus libr. IV. cap. 12. Suetonius in Vita Octauii Augusti cap. 23.

d) Adducta monasteria et Abbatias fundauerunt;

Loc-

Wülfinghausen d) his praefuerunt quondam Dominae, quibus vero Rex Angliae et Elector Brunsuico-Luneburgicus Georgius I. clementissime adscripsit titulum Abbatissarum, sub cuius felici regimine etiam pleraque dicta coenobia nouissime et splendide sunt exstructa; praeterea habet Praefecturas Electorales, nimirum Calenberg, Coldingen, Ricklingen, Blumenau, Grosen Muntzel, Neustad am Rubenberg, Wölpe, Rehburg, Lauenau, Hallerspring, Wittenburg, Lauenstein, Hastenbeck, Oehsen, Gronde, Bodenwerder, Polle, Ertzen, denique Praeturam vulgo die Vogtey Lichen, et praeturam Praefecturalem die Amts-Vogtey Langenhagen, vltima est sub mandato et ditione Magni Praetoris communiter Groß-Vogt, munus certe in Ducatu Luneburgico magnificum et vtile, quippe cui parent duodecim Praetores Nobiles, totque Praefecturae quaestuosae, BurgVogtia autem est in vrbe Cella flumini Allerae adsita.

§. III.

Terra huius regionis multiplex et varia, plerumque limosa et pinguis, segetibus idonea, quodammodo humida, praecipue quae fluminibus adiacet, quae facile magna fiunt et vehementia, ripasque superant suas, quando imbres maximi, aquaeue e multa niue dilutae defluunt, e) hinc prata sunt fertilissima, quae pecoribus pabula benignissime subministrant, nonnulla terra arenosa, apta culturae hortorum, modo plana, modo montosa et siluestris, ex siluis praecipue sunt der Deister, der Lindsburger Wald, propter venationes et lignationes, insuper ad alendum ignem a rusticis proximis

Loccum, Wulbrand Comes Hallermundanus A. C. MCLXIII. vel vt alii volunt MCXLVII. regnante Caesare Friderico Barbarossa.
Marienwerder, Conradus Comes Rhodensis et Wunsdorpiensis A. C. MCXIV.
Wunstorf, Dietericus Episcopus Mindensis A. C. DCCCLXXVI.
Mariensee, Bernhardus Comes Woelpensis A. C. MCCLV.
Barsinghausen, Widekindus Comes Schwalenbergensis & Gottschalcus Comes Pyrmontanus A. C. MCCIII.
Wennigsen, cuius fundator incertus, itemque annus fundationis; monasterium virginum, 2. mill. Hannov. distans; in veteri quodam diplomate appellatur *Wennessen* et *Wevelsen*. conf. Polyc. Leyseri Hist. Comitum Wunstorpiensium. edit. recentior. p. 50.
Wülfinghausen, Eques Oddieroda A. C. MCCXXXV.

e) Hoc malum omnino vniuersae Europae, etiam his terris fatale, triste, lugubre notauit, notabitque seros ad posteros annum praeteritum MDCCXL. quo inundationibus fluminum antea inauditis, tempestatibus procellosis horribilibus innumerae milliones damni sunt factae, multa centena nauium in mari et fluminibus fracta, submersa, multa millia hominum, pecorum fluctibus obruta, miserrime vita priuata, totae regiones euersae, plures vrbes, oppida, pagi vastati, deiecti, deleti.

ximis Luneburgicis multa turfa, itemque pro fabris ferrariis carbones fossiles ex comitatu Schaumburgico inportantur; caret quidem cultura vini atque metallis nobilioribus et vtilibus, verum enim vero primam inopiam duo emporia florentissima Hamburgum et Brema, alteram fodinae metallicae Hercynicae ditissimae compensant.

§. IV.

Aquae notabiliores erunt das Steinhuter Meer, cui adiacet oppidulum Steinhute, et est lacus coenosus aliquot horas circuitu emetiens, qui abundat varii generis piscibus, praecipue in illo, ni fallimur, pisciculi minores, qui raro digiti longitudinem superant, dicti Stinte, f) rectius Stincke nominares propter odorem minus suauem et iucundum, quem late spargunt, copiose capiuntur, hi sale conditi, recentesque, farina inuoluti et butyro tosti bonum et titillantem praestant saporem.

Fluuius *Visurgis*, qui ex confluentia Fuldae et Werrae ad vrbem nobilem florentemque mercatura Ducatus Goettingensis Mündam ortum sumit, seque exonerat in mare Germanicum, commodissimus nauigationi, etiam piscatu nobilis, inprimis captura esocis delicatioris ad Hamelam munitionibus fortissimis, officinis variis praeclaram vrbem.

Linius fluuius, qui oritur in prouincia Thuringica, quae auditur das Eichsfeld, prope oppidum huius primarium Heiligenstadt, seque effundit in fluuium Alleram, piscibus variis suauibus diues, ripas habet demissas, hinc saepius inundatione sua agris, pratis adiacentibus damnum adfert; hunc nauigabilem reddi posse, docuit nauicularius Bremensis, qui naue cibariis onerata praesente aula regia MDCCXL. Hannouerae adparuit.

Riuus die Aue fontes habens suos ad oppidulum praefecturale Ennau, et riuus die Haller ad oppidulum praefecturale Hallerspring vel simpliciter dictum Spring scaturiens, sese infundunt in flumen Leinam.

Riuus die Hamel ad praefecturale oppidum Hamelspring oriens, et riuus die Humme ex Comitatu Lippensi profluens sese coniungunt cum Visurgi flumine. Aquae

f) Hi pisciculi non commiscendi cum animalculo vix absimili lacertae eiusdem nominis See-Stint, stincus marinus dictum, quod est amphibium, et incola maris Tusci, carens odore, inseruiens stimulationibus.

Aquae medicinales heic loci nullae, etiamsi aquae salubres Pyrmontanae fama satis celebratae g) scaturiant in ipsis finibus Calenbergicis meridionalibus.

Fontes salinarii in oppidulo nomen inde gerente Saltzhemmendorf Praefecturae Lauenstein, hi quando inceperint scaturire, vel quo tempore sint detecti, plane non constat, quaestuosi pro Camera Electorali, et incolae oppiduli quibus potissimum aluntur et sustinentur.

Liquidum denique *in nigro rufum* effluit e fonte, qui est in radice montis Desteri, distans ab Hannouera circiter quindecim millia passuum versus Meridiem, non recta sed ad occasum, quod bitumen clarissimae fontis aquae innatat; sunt verba Agricolae libr. I. Fossil.

§. V.

Haec praefati rem ipsam nunc adgredimur, et vt supra demonstratum est, obseruabimus ordinem geographicum nobis hactenus consuetum in Oryctographiis, quas iam publici iuris fecimus, initium igitur faciet

Hannovera vrbs totius Electoratus Brunsuico-Luneburgici primaria, nobilissima, optime aedificata, flumini Leinae adsita, antiqua, a Duce Saxoniae Alberto 1371. muro septa, et priuilegiis exquisitis donata, ut et ab Ottone Puero Duce Brunsuicensi, quondam Hanseatica, a brachio fluminis dicti in vrbem veterem et nouam diuisa, quae altera 1714. ab Electore Georgio Ludouico accepit iura vrbana, vallo valido, fossa, aliisque munitionibus necessariis cincta, iacet in plano, et in amoenitatibus orarum, inprimis tibi dabunt maximam voluptatem horti ad vrbem cultissimi, et siluula iucunda, proximaque, proceris arboribus et fruticibus consita, nominata die Ellgerie; superbit aedificiis publicis magnifice exstructis, nimirum arce satis ampla, supellectili pretiosa ornata, cum templo suo, h) amphi-

g) de his legi meretur Excellent. D. Joh. Phil. Seip, Consiliarii Aulici et Archiatri Waldeccensis Pyrmontische Mineral-Wasser. Hannover 1740. forma octaua.

h) In hoc adseruantur antiquitates Romano-catholicae pretiosae ex Terra Sancta ab Henrico Leone 1172. Brunsuigam, inde vero huc translatae 1671. a Duce Johanne Friderico, vide Molani Lipsanographiam siue Thesaurum Reliquiarum Electoralem Brunsuico-Luneburgicum, qui prodiit Hannouerae 1713. exemplar huius pergamenis membranis nitide inscriptum ab auctore Clementi XI. Papae Romano oblatum, et bibliothecae Vaticanae illatum.

phitheatro,gazophylacio ditissimo,vere regio; (haec cum iam scripsissemus, et prelo typico subiicere constituissemus, fama tristissima per omnes finitimas et longinquas terras percrebuit de fatali incendio die X. Apr. anni currentis facto, quo repentino et crudeli Cancellaria ciuilis et militaris, Camera Electoralis, aliqua etiam arcis pars vna cum omnibus scriptis, irrecuperabili, certe damnum, sunt consumtae.) porro cancellaria noua, domo procerum prouincialium, curia vrbana, armamentario instructissimo, palaestra equestri, stabulo aulico equestri; adhuc templis St. Georgii, St. Crucis, St. Aegidii, Neostadiensi, itemque Reformato et Catholico; Bibliotheca regia, a B. Leibnitio vndiquaque et studiose conquisita, in qua rara historiae Brunsuicensis monumenta adseruantur, i) huic inserta bibliotheca B. Molani Abbatis Loccumensis egregia et praeclara, octo millibus thalerorum emta, Bibliotheca vero Magni Praetoris de Bülow, vltra 40000. voluminibus constans, post huius mortem nouissime institutae Academiae Göttingensi 1734. donata; olim heic quoque in Aula Loccumana non sine animi delectatione lustrabamus B. Abbatis Molani Collectionem raram, sumtuosam, ad quindecim millia thalerorum aestimatam, monetarum antiquarum, modernarum, praecipue historiam domus Brunsuicensis concernentium, k) itemque eius Technophylacium, variis artificiis et naturae singularibus refertum, attamen etiamnunc videri vtique meretur Collectio lapidum figuratorum, rerumque naturalium plurimarum Excellentissimi Dni D. de Hugo, Consiliarii Aulici et Archiatri Anglicano-Regii, singularis et eximia; huic loco debemus primam inuentionem potus Saxonibus Inferioribus gratissimi et communissimi a suo inuentore Cord Broihan, Zythopoeo nomen gerentis Breyhan vulgo Weißbier, 1526. primum cocti, de quo poeta:

Grandia si summo fierent conuiuia coelo,
Breyhanam superis Jupiter ipse daret.

et

i) de hoc testantur Godofr. Guil. Leibnitii Tomi tres Scriptorum historiam Brunsuicensem illustrantium Hannouerae 1707. publicati.

k) vid. Commentatio nostra Epistol. de Fossilibus et Naturae Mirabilibus Osterodanis 1734. publicata pag. 7. seq.

et alius de tempore, quando Bryhana optimi
est saporis:

Mensibus erratis cancrum o mensae fugiatis,
Mensibus erratis chara Brühana sapis;
Brühan cum crescis, cancrorum cauda vilescis,
Cancros dum haud capis, en chara Brühana sapis. kk)

Ad latus Septentrionale fluminis Leinae, cui inpositus est pons lapideus, pagus Linden situs, ab vrbe dicto flumine seiunctus, in quo Palatium magnificum Comitum de Platen cum horto suo spatiosissimo, et amoenissimo, l) post hunc vero lapicidina vtilissima, ex qua caeduntur pro erigendis in vrbe aedificiis caementa, lapidesque calcarii pro calce ex iis coquenda, varia offendimus in illa strata, in quibus et reperiuntur lapides figurati multiplicis generis, videlicet

Cochleae marinae maiores tortiles petrifactae communiter *strombitae* coloris cinerei, elegantissimae, non vulgari modo tortae, sed figuram habent cylindricam siue conoideam gracilem, cui spirae sunt circumuolutae. m) Tab. aen. fig. I.

Cochlitae minimi, vix acus globulum superantes, grysei, brunni, lutei coloris.

Lapides lyncis vulgares et parui.

Asteriae bene radiatae, copiose adsunt.

Lapides iudaici a patria dicti, vel melones petrifacti habiti, elegantes, rariores, ab apice versus pediculum striis articulatis ornati, magnitudine vix duos digitos transuersos superantes, nonnulli vix ac ne vix quidem semipollicem transuersum emetientes, plerumque carent caulibus, rari cum illis occurrunt.

Ostreae minores petrifactae copiosiores.

Selenites rhomboidalis a figura dictus, quam retinet, etiam si in particulas minutissimas diffrangatur, cuius color est splendens et vel perlucidus instar glaciei Mariae, vel vt plurimum lacteus, obscurus, nec perlucidus; vstus conuertitur in gypsum optimae notae: hunc transeunt venae luteae

 pul-

kk) conf. D. Brückmanni Catalogus omnium Potus generum. p. 8. etc.
l) vide sis Oryctographiam nostram Goslariensem pag. 16.
m) quales Lachmund in Oryctographia Hildesiensi pag. 46. describit, depingitque.

puluerulentis instar *ochrae*, forsan pictoribus vsui esset, si lauaretur, a quisquiliisque purgaretur suis. n)

In agro Lindensi 1736. non minorem in admirationem fluere incepit *Oleum terrae*, quod aduersus varia externa mala et vlcera perniciosa efficax remedium adhibitum, quae res mirabilis schedula publica ad notitiam peruenit omnium, o) verum enim vero paruo temporis spacio praeterlapso exaruit iterum.

In agris ad vrbem vomere a rusticis eruuntur *Lapides lyncis* admodum copiosi, nonnulli habent cauitates conicas marga alba repletas, quam margam mulierculae rusticae secundo rei euentu adhibent medicinam, quando vaccae sanguinem pro lacte reddunt.

adhuc *Echini* pileati, rotundi, aculeis suis priuati, petrifacti, coloris albicantis, diuersae magnitudinis, in tota superficie punctulis et peltis nudo oculo vix conspicuis, quibus inhaeserunt aculei, animal cum viueret, notati.

In ripis Leinae fluminis maxima copia leguntur *Lapides lyncis* plerumque truncati; in iisdem quoque reperiuntur *particulae* minores *succini*, minus perlucidi, coloris albi, flaui, fusci, nec dubitamus, quin maiores ibi latitent, quando eius venae forte fortuna et cum tempore magis aperiantur; et Agricola lib. IV. Fossil. scribit, succinum e Destero monte effoditur.

Herrnhausen secessus pro aula sane amoenissimus, vnica horula ab vrbe Hannouera distans, et versus occidentem situs, quo ducit via iucundissima ad vtrumque latus populis altissimis consita, quae nocturno et obscuro tempore praesente aula regia lucernis ardentibus illuminatur, palatium est magnificum optima ac elegantiori supellectile exornatum, cum horto spatiosissimo, amoenissimo, laetis viridariis, flexibus, xystis, casis frondeis, theatro artificioso ex sepibus viuis, pomis aurasionensibus, ad quas arbores recipiendas hyberno, frigidiore tempore duae magnae domus splendide exstructae, arboribus aliis exo-

n) Excellentissimus D. Brückmann, scitissimus rerum naturalium interpres in Epist. Itinerar. VII. Epist. lin. XLVII. p. 8.

o) Nachricht von der wunderbaren Oehlquelle bey Linden und derselben Wirckung.

exoticis, floribus rarioribus, suauissimis, tulipis lectissimis, praecipitae aquae lapsu iucundo, fontibus salientibus arte factis instructissimo, prae omnibus fons maior omnino mirabilis, qui eructat aquam in altum ad centum et quinquaginta pedes, latitudinem diametralem trium pedum emetientem, opus molitoris Anglicani sane stupendum, antea inauditum, sumtuosissimum, plus namque tonna auri in eo est consumta, artificium constat in machina pressoria vulgo ein Druckwerck ad brachium fluminis Leinae aedificata, qua aqua propellitur in tubis plumbeis maioribus, ferrei enim sunt rupti, et pressioni aquae vehementiori resistere nequiuerunt; hortus est circumdatus alta lataque fossa, aqua et delicatis piscibus plena, cui innatant cygni plures, qui tuentur et aluntur, cui etiam inpositae nauiculae in aulae delectationem. Hoc in Paradiso terreno ambulans more sueto Magna doctissimaque Princeps, haeres legitima Coronae Anglicanae *Sophia* ex improuiso placide tamen in sinu carissimae suae *Carolinae* nurus ipsius quiescens animam efflavit, inque paradisum caelestem migrauit; Magnus quoque Imperator Russiae Magnae *Petrus I.* in itinere ad aquas salubres Pyrmontanas bis heic diuersatus, et captus mirifica loci suauitate aliquot dies heic commoratus.

Inter lapides, arenas, sabulum et terram, quae ex fossis pro aqua ad machinas hydraulicas ducenda factis effossa et eiecta ipsi 1721. praesentes reperimus:

Lapides lyncis minores.

Asterias radiosos pentagonos pulcerrimos.

Echinitas.

Particulas testarum echinorum dilaceratarum.

Corallia marina varia petrifacta in lapidibus corneis diffractis.

Lapides mathematicos, laeues, politos, figura rotunda, ouali, triangulari, multangulari, reliqua. p)

Neostadium ad montem raparum cognominatum, Neustadt am Rübenberg, oppidum cum arce in plano situm, quod praeterfluit flumen Leina, tam vrbem, quam arcem Dux Brunsuicensis

p) Celeberrimi D. Brückmann Epist. Itiner. VII.

sis Ericus Junior 1573. vallo peculiari valido, lataque fossa, non minus aliis munitionibus cinxit, nomenque huic nouo munimento indidit Landestrost, sed nominatio haec iam diu in obliuionem venit, etiam munitiones in singulos annos vetustate dilabuntur.

ad hanc vrbem in strato lutoso, argillaceo nigro-cinereo, tenaci latent *ostreae* petrifactae coloris caesii, maiores minoresue, maximam priorum in nostris scriniis adseruamus, quae ad manus nostras peruenit, et emetitur longitudine septem fere pollices, latitudine quatuor pollices transuersos, in cuius superficie externa, rugosa haerent fragmenta adglutinata paruarum austrearum.

in alio strato latent *Belemnitae*, alias lapides lyncis, Germanis donnerstrahl, teufelsfinger, graciliores, plerumque fracti, duo ex his exemplaria possidemus adhuc integra, id quod rarissime euenit, quare in eius extremitate parua cauitas conspicitur, qua inhaeserunt corpori, videlicet echino marino, cuius aculei quondam fuerunt.

in alio *Turbines* minimi naturales, formosissimi, quorum nonnulli propter paruitatem suam visum nostrum fugiunt, et vix nisi armato oculo capiuntur, iacent in superficie lapidis scissilis cani admodum friabilis.

Turbines adhuc alii maiores in lapidem conuersi, eidem lapidi scissili friabili inuoluti.

Adhuc massa elegans ex meris *turbenitis* petrifactis variae magnitudinis constans, qui succo lapidifico et indurato coaluerunt in vnum corpus, satis grandes tabulae huius ex insula, quam flumen Leina ad oppidum format, extrahuntur. Monuimus iam alio tempore data occasione, & in alio scripto, q) crusta exteriore minime formosa horum turbinum abrasa, potius vi remota, vix namque hic labor facile et sine laesione peragitur, turbinem multo formosissimum et splendidissimum adparere, qualia petrifacta Bononia Italorum adlata solent esse, quae nuper demum in manus

q) nimirum in Oryctographia nostra Goslariensi pag. 26. not. ff.)

manus nostras peruenerunt, et in scriniis nostris reposuimus. r)

in alio *globuli* cani, non admodum duri, in quibus, quando franguntur, adparet corpus quoddam rude, informe, splendentibus squamis nigris piscium instar tectum.

in alio renes lapidei oblongi et crassi, coloris brunni, qui malleo dissecti continent integrum *gammarum marinum* cum crusta, chelis et pedibus. In Museo Excellentissimi D. de Hugo Archiatri regii instructissimo supra laudato aliquot harum exemplaria adseruantur. Tab. aen. fig. II.

in alio *Conchae* biualues minores, lacues, partim testa sua priuatae, partim testa sua gaudentes, et quidem vel alba, vel nigra, vel lutea, vel brunna, vel ruffa, vel denique variegata, quales videntur in conchis marinis ad littora Hollandica, vulgo **an den Schevelinger muschen**, partim in matrice adhuc haerentes, partim quassatae, partim testam confractam exhibentes, quae tanta adsunt copia, ut currum quadriiugem illis onerare possis.

in alio *Cornua Ammonis* spiris intortis ad instar cornu arietini.

in alio, insulae in Leina flumine ad latus dextrum pontis sitae, *Belemnitae* seu radii echinorum marinorum integri, fracti, priores occurrunt rariores, posteriores vero frequentiores.

in alio *lapides peculiares* albidi coloris, quo nomine adpellandi nos cum aliis, qui illos viderunt, ignoramus, ex meris paruis pyramidibus compositi, quarum vnius basis apici alterius firmiter adglutinata.

in alio tandem strato *lapides* argillacei, politi, laeuigati, perforati *cauis rotundis et oblongis*, quos putes domicilia insectorum. s)

Immo nullo non tempore aquarum impetus, et inunda-

 tiones

r) Elegantiora horum exemplaria aere nitide excusa nobis dederunt Venerand. D. Bytemeister in Catalogo suo Apparat. Curiosor. pag. 51. tab. 24. et Excellent. D. Brückmann in Thesauro suo Subterran. Ducat. Brunsv. pag. 124. tab. 24. qui et Specimen quoddam possidet, in quo singulorum Turbinitarum cauitates pyrite aureo splendente refertae, seu quorum nuclei sunt pyriticosi.

s) Excellentissimus D. Brückmann Epist. Itiner. VII.

tiones alia rerum naturalium, antea incognitarum, strata detegunt.

Calenberg in monte sita, t) ad cuius radices flumen Leina praeterlabitur, arx antiqua, quondam munitissima, muris, turribus validis, altaque fossa pro veterum muniendi more cincta, tempore belli tricennalis pestilentissimi quidem ad aliquod tempus domui Brunsuicensi vi armorum erepta, sed simili iure a Duce Friderico Vlrico 1633. recuperata, et a Duce Georgio Wilhelmo optime renouata; priscis temporibus sedes quorumdam Ducum Brunsuicensium, nominatim Wilhelmi Senioris, Friderici, Erici I. et Erici II. qui hinc Duces Calenbergici dicti; sub regimine Electoris Brunsuicensis Georgii Ludouici ob certam rationem status ad solum diruta, cuius ex ruderibus in valle sub monte iucundissima noua domus praetoria cum ceteris aedificiis oeconomicis, horreis, stabulis, aliis, splendide exstructa.

Huius in agris leguntur:

Turbines maiores, ex lapide calcario albicante constantes, quos delineatos videre poteris in celeberrimi D. Brückmann Epist. Itiner. u)

Belemnitae siue radii echini marini frequentiores. w)

In lapicidina domum inter praetoriam et arcem vastatam prope flumen Leinam reperiuntur *Globi marcasitacei* lapidi durissimo cano inclusi, nonnulli horum gibbosi, alii quasi torno facti, communiter ponderant sex vel octo semuncias.

Chamae laeues ex marga crebrae, in quibus laminas testaceas sibi inuicem superinpositas, quarum successiua appositione grandiores quondam factae fuerunt conchae illae, oculis distincte cernere, immo, si lubet, facili etiam a se inuicem licet separare negotio. x).

Dens

t) de hac Merian in Topographia Brunsuic. pag. 65. scribit: *Calenberg* ein uraltes Fürstl. Braunschweig-Lüneburgisches herrliches, und unter allen des Fürstenthums Calenberg das vornehmste amthaus; die felder daherum sind an acker und wiesen sehr fruchtbar, mangelt ihm auch sonst an fischerey und holtzungen gar nicht.

u) Epist. Itinerar. VII. tab. I.

w) Celeberr. D. Brückmann Epist. Itin. 65. pag. 4. 5.

x) D. Rosinus de Lithozois et Lithophytis pag. 8.

Dens maxillaris maior 1740. ex fodina argillacea eruta, ponderans ipsas quinque libras. y)

In hac Praefectura Calenberg iacent pagi sequentes:

Ahnsen, vbi in lapide calcario reperiuntur *Globi marcasitacei*, alias oua Philosophica, laeues ac rotundi, quasi torno facti diuersae magnitudinis, interdum quoque duo sibi inuicem cohaerent, malleo diffracti splendent, color internus est argenteus, externus vero martialis, qui satis indicat, pyritem esse ferreum et durabilem, nullum enim continet vitriolum. z)

Hallerburg arce quondam munita famigeratissimus, quam permissu Ducis Brunsuicensis Wilhelmi Victoriosi ciues Hannouerani, Pattenses et Eldagsenses, multa mala inde perpessi, 1435. fregerunt, aque fundamentis proruerunt.

in huic proximo colliculo der Abrahamshügel dicto ipsi praetereuntes collegimus quondam *Trochos*, Räder-Spangenstein, albissimos, elegantissimos, itemque *Asterias* formosissimas et singulares, acuminibus subrotundis, in superficie quoque stella caelo quasi insculpta conspicitur.

Altenstein, vbi inueniuntur *Terebratulae striatae* formosae, maiores minoresue, valua inferiore in oppositam partem reflexa. aa)

Bandeln, in hoc nobiles de Bennigsen habent possessiones vtiles, cum horum domus nobilis ante aliquot annos nouiter exstructae fundamenta effoderentur, simul eruebantur duo *Ammonis cornua* maiora *marcasitacea* elegantiora latitudinem diametralem trium transuersorum digitorum cum dimidio habentia. bb)

Brügge ipsi flumini Leinae adsitum, quo in sunt praedia Nobilium de Steinberg egregia, saxa vastissima ex meris *Trochis* conflata ex huius loci lapicidina exciduntur, quibus domos aedificare possis.

Landwehrschencke, in agris finitimis *Lapides lyncis* coloris lucido-cineracei maxima copia inueniuntur. Lauen-

y) Dn. Keüsler Neueste reisen Tom. I. pag. 128.
z) Curiosiss. D. Brückmann Epist. Itin. XXXVII. pag. 11.
aa) quales describit depingitque Langius de Lapid. Figur. Heluetiae pag. 161, Scheuchzer in Oryctogr. Heluet. pag. 299. seqq. Oryctogr. nostra Goslar. pag. 15.
bb) Excellent. D. Brückmann Epist. Itiner. VII. tab. II.

Lauenstein arx in monte praealto exstructa, his nostris temporibus diruta et deserta, cuius rudera residua admodum conspicua supersunt, quae priscis temporibus ad Comitatum Homburg antiquissimum, celeberrimum pertinuit; ad montis radices iacet oppidulum praefecturale eiusdem nominis Lauenstein in regione foecundissima et vberrima, quae ab incolis adpellatur die Lauensteiner Börde. cc)

In hac praefectura siti sunt pagi:

Marienhagen, vbi in area communi villae rusticae riuulus oritur, qui simul, praesertim quando caelum tonitrua et fulgura emittit horribilia, euomit varia figurata marcasitacea elegantissima, quae ipsi praesentes ex indicato riuulo extraximus, ordine nun recensemus, et sunt:

Tab. aen. fig. III.

Cornua diuersi generis atque variae magnitudinis, vltima tamen vix in diametro excedit duos digitos transuersos, nimirum:

Cornua Ammonis eleganter striatum et verrucosum cum ornamentis foliaceis et dorso laeui.

Cornu Ammonis minus superficie plane laeui.

Cornu Ammonis superficie laeui, lineolis foliaceis plane vt dendrites pictum, quae ramificationes nihil aliud sunt quam vestigia articulationum cornu externa.

Cornu Ammonis lineis simplicibus elatis et rectis, versus dorsum curuatis praeditum cum dorso laeui, quodammodo acuto.

Cornu Ammonis lineis furcatis signatum cum dorso vel acuto vel lato.

Cornu Ammonis integris seu per dorsum continuis striis, iisdemque simplicibus et densis instructum, in medio perforatum.

Cornu Ammonis lineis furcatis et dorso laeui atque lato praeditum, insuper per omnem volutae ambitum gemina tuberculorum aut verrucarum serie ornatum.

Cornu Ammonis striis elatioribus et vndulosis, habens spinam dorsi extantem articulatamque.

Cor-

cc) Merians Topograph. Brunsuic. pag. 137.

Cornu Ammonis subtiliter striatum, armatumque pyrite splendente sulphureo. dd)

Lapides stellares minores, quinquangulares omnes, singulares, et rarissimi quamuis occurrant, nonnulli gaudent acuminibus praeacutis, nonnulli subrotundis, etiam in vtraque superficie adparet stella articulatim et elate signata. Tab. aen. fig IV.

Alueolus Luidii rarissimus marcasitaceus, admodum splendens. Tab. aen. fig. V.

Concha biualuis *striata* formosa.

Conchae bufoniae vel fluuiatiles, vel *Musculitae*, vel *Mytilitae* biualues.

Conchae venereae minores elegantissimae, rarissimae, aliae crusta marcasitacea inuestitae, aliae naturales, sed in lapidem conuersae, aliae integrae et pulcerrimae, aliae compressae, fractae et inordinatae.

Articuli frequentiores *cornuum Ammonis* elegantissimi cum ornamentis foliaceis, vel etiam sine his.

Massae Marcasitaceae adhuc inconditae et inperfectae, modo cornu, modo conchae similitudinem habentes.

Descripta figurata marcasitacea carent vitriolo, hinc in perpetuum durant, nec vlli corruptioni obnoxia, ac illa solent, quae vitriolo praegnant, hinc facile ab aere ambiente in puluerem rediguntur.

Trochi minores.

Dactyli diabolici seu lapides lyncis nigri in proximis agris leguntur copiosi, alter horum, quos possidemus, grandior medium diffissus, includit minorem dactylum coloris badii et perlucidi, alter extrinsecus cauitate admodum conspicua a vertice ad calcem praeditus.

Saltzhemmendorf oppidulum ad riuum Saale iam supra descriptum, vbi inueniuntur:

Conchae laeues sinuoso margine praeditae.

Conchae Venereae.

Ostreae minores, minimae, argillae inclusae.

dd) Horum delineatorum Cornuum Ammonis ectypa aeri eleganter et distincte incisa videre licet in vener. D. Bytemeister Catal. Cur. tab. XXII. fig. 268. 299. Excell. D. Brückmann in Epist. Itiner. XLIII. tab. I. et II.

Massa lapidea, cui matrices concharum striatarum minimarum eleganter et distincte inpressae.

Supra hoc oppidulo iacet silua nominata der Osterwald, in qua offenduntur:

Mytilitae nitidi.

Lapides lyncis coloris cinerei et badii.

Turbenitae minores striati, formosissimi.

Cornua parua marcasitacea foliis eleganter picta, alia nodosa; adhuc parua *cornua* lapidea furcatis striis notata.

Tab. aen. fig. VI. *Turbo* etiam hinc nobis transmissus integer, sane formosissimus, helicibus distinctissimis praeditus, longus est tres pollices et semi, latus in parte superiore pollicem ipsum, et semi, iacet denudatus, vtroque lapidis latere aperto, in matrice sua lapide nimirum calcario cinereo.

Sulphur natiuum formosissimum in lapide arenoso albissimo latitans coloris flauidissimi, saepius succini instar perlucidum, hoc omnibus reliquis, quae in nostris scriniis adseruamus, vel vmquam vidimus, optimo iure anteponimus; conuenit prorsus cum sulphure Bacciaco Heluetiae.

Carbones fossiles optimi, ex horum fodinis Camerae Electorali quotannis redeunt aliquot millia thalerorum, iuxta has officina vitriaria exstructa, atque cognominata die Lauensteiner Glaßhütte, cum domicilio bono, et aliis aedificiis ad vsum necessariis, quae propria et haereditaria familiae Bremerianae in hac paratur vitrum optimum, quod albedine et grauitate vitro Anglicano aequiparatur. Beneuolus Lector nobis ignoscet, si hac optata occasione simul commemoramus, nos praesentes heic obseruasse vehiculum curiosum, cui loco rotarum adplicati coni decurtati, quod currebat inter positas duas trabes, hoc modo vnicus vir facili negotio et sine omni molestia aliquot centumpondia ante se protrudere poterat. Hanc machinam debemus B. Abbati Schmidio, cuius fidelissimi quondam in Alma Julia praeceptoris nostri et hospitis, Patroni non minus summi cineres adhuc debite veneramur, quam monstrauit auditoribus in Collegio suo Curioso, sibique primam eius inuentionem adtribuit. Pa-

Pagus Levedagsen, vbi reperiuntur:

Lapides Judaici maiores, minores, minimi, cum et sine petiolis, nomen gerunt a patria sua Judaea, vbi in monte Carmel Syriae prope monasterium Brocardi, cuius cadaver modo his nostris diebus superest, ostenditur dictus campus melonum, in quo conspiciebantur quondam maxima copia, hodie sunt rariores, melones petrifacti diversae magnitudinis, qua de re mirabili fabula circumfertur, Prophetam Eliam suo tempore ab hortulano eiusdem loci rogasse melonem, qui non melones sed lapides esse, quos videret, prophetae friuole respondit, factum autem, vt omnes melones statim in genuinos lapides mutati sint. ee) a Plinio hic lapis nominatur Tecolithos, Steinschmeltzer, a medicis enim efficax remedium habetur contra lithiasin.

Meimbrexen, ad hunc pagum inueniuntur

Globi intus *crystallisati* in fossa argillacea, eiusdem fere generis, quales reperiuntur in fluuio Mulda Saxoniae. ff)

Mehlen, ad hunc leguntur:

Cornua marcasitacea minora striis furcatis et verrucis eleganter ornata.

Cornua lapidea parua, foliata, laeuia, nodosa, splendentia.

Conchulae lapideae anomiae, venereae, minimae, splendentes.

Conchulae bufonum et rugosae, nitidae.

Matrices cornuum paruorum, lapis est siliceus.

Arenfeld, hoc loco inueniuntur:

Asteritae quinquangulares et columnares elegantes.

Turbenitae minimi, pulcerrimi.

Ertzen oppidulum praefecturale ad riuum Greisheim situm cum domo praetoria et reliquis aedificiis oeconomicis ex lapidibus nouissime et bellissime exstructa; ad hoc sunt fodinae margaceae optimae, qua marga rustici agros suos loco fimi refouent, et agri hac redduntur fertilissimi, in his fodinis quo-

que

ee) von Troilo Orientalische Reisebeschreibung pag. 68. sq.
ff) Mylii Saxonia Subterranea Part. II. pag. 4. sq.

que offenditur stratum ochrae, quae continet frequentiores globos marcasitaceos, aculeatos, laeues, cetera, a plebeiis Mergelnüsse adpellatos, itemque crystallos elegantissimas, splendidissimas, gg) quales et in finitimo Comitatu Pyrmontano lapidi calcario cano globoso inclusae reperiuntur, hh) inque agris ad oppidum Lude, et ad Arminii montem aratro erutae, vel imbribus nudatae leguntur.

Attamen pedem heic figimus, nec ulterius progredimur, breuior quum via delectet, longior sit omnino molesta, et quae adhuc supersunt, conseruamus in aliud iter curiosum hunc in finem bono cum Deo suscipiendum; interim circa clausulam omnes atque singulos in terra Hannouerana rerum naturalium studiosos et amatores ea, qua decet, obseruantia vehementer etiam atque etiam oramus et obsecramus, velint nostrum propositum beneuole iuuare, ac nobiscum ea liberaliter communicare, quae pertinent ad historiam naturalem Ducatus Calenbergici supplendam, eamque pleniorem conscribendam, nostra vicissim illis officia qualiacunque offerimus, sancteque promittimus, nostris Hercynicis rebus naturalibus, sane non vulgaribus, ipsa quidem re debite remunerare omnia.

gg) de his vide sis Schediasma nostrum de Nucibus Margaceis 1740. publicatum.
hh) Excellent. D. Seip l. c. pag. 253.

